

05

A

856





7

I. N. J.

Disputatio Metaphysica

De

CAUSA IN GENERE

ejusq; divisione

in Causam Per se & per Accidens

Quam

Divinâ aspirante Gratiâ

Sub Præsidio

Viri Clarissimi

DN. M. FRIDERICI HOLTZMANNI,

Ampliss. Facult. Philosophicæ Adjuncti longè
dignissimi, ac ejusdem p. t. Decani Spectabilis,


Dn. Præceptoris, Promotoris ac Fautoris sui
observanter colendi.

In Auditorio Majori Horis antemeridianis

Ad diem 21. Septembris

Publico Eruditorum examini submittit

NICOLAUS GIECKH Francus.



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.

ANNO M. DC. L.



7



05 A 856

Fragment of text from the adjacent page, including words like "r", "E", "u", "m", "C", "n", "m", "r", "q", "b", "f", "c", "e", "N", "d", "b", "c", "r", "x", "s".





Præloquium.

St certè Philosophia magna laus, est magna utilitas. Hinc, ut Cicero habet, Philosophia nihil est aliud, si rectè interpretari volumus, quàm studium Sapientis. Cui, si quis animum dicaverit, an, juxta mentem Cornelij Agrippa, (si tamen ipsius mens fuit) sit inter bruta numerandus, non est quod timeat. Servet quis & observet verum & genuinum Philosophia usum, ab usum removebit feliciter. Et ut rosis miscentur spinae, ita sana Philosophia insana. Cum primis spinosa via nobis terenda venit in doctrina Metaphysica de Causa per Accidens, ibi enim Adversarij monstrant nobis eminentius templum splendidissimè extructum & affabrè; at quod cum intraveris, si non hircum aut felem invenis, quod de Ægyptiorum templis Lucianus, aut digladiantes Sacellos, quod de antiquissimo quodam Syria templo Alexander ab Alexandro scribunt, certò tamen invenis ejusmodi Deum, qui & peccati sit causa. Ne autem in bruta degenerent, subsidium sibi querunt in causa per accidens, quasi illa non verè ac propriè, sed saltem æquivocè sit causa; at facessant ejusmodi veritatis Sephasiarj. Nos illis hâc vice ad digitum monstrabimus, causam per accidens esse veram causam, & nobis satis erit (sunt verba celeberrimi Theologi D. Dannhav. in sua Dialectica Sacra p. 3.) convictio, licet non sequatur persuasio aut edificatio. Ne verò χέρων ἀνίπτοις nos ad nostrum accingamus propositum; Faxit omnium causa, ut ad ipsius gloriam, quicquid suscipimus, succedat.



§. 1. Priusquam ad scopum nobis præfixum nos vertamus, generalia quædam de causa erunt præmittenda.

§. 2. Causam itaq; contemplaturi, omnium primò duplicem ejus definitionem, quæ & *nominalis* & *realis* (non accuratam, cum sit transcendens, volumus intellectam) evolvimus.

§. 3. Illa nempe *nominalis* versatur circa vocis Etymologiam, Synonymiam & Homonymiam seu æquivocationem.

§ 4. Etymologia. Causam si quis cum *D. Scheiblero ex Beckmanno de orig. lat. ling.* causam aut cavissam dictam vellet, non ita falsè, ut quondam Balbus Stoicus, qui Neptunum à nando deduxisset, à Cotta Academico excipiebatur, esset excipiendus: *Nullum erit nomen, inquit Cotta, quod non possis una litera explicare, unde deductum sit, in quo quidem magis tu mihi natare visus es, quàm ipse Neptunus.*

§. 5. *Synonymia*. Synonyma modò allegatus *Dn. D. Scheibl.* nulla agnoscit, nisi quod aliquando causa *κατὰ πρῶτον* vocetur Principium Causale.

§. 6. *Homonymia*. Quandoq; causa sumitur *latè & improprie*, uti causa sine qua non, quæ propriè naturam agendi non habet, sed saltem prærequiritur tanquam conditio, si tamen uti licet terminò Juridico, ut *Dn. D. Hulssem. id monstrat in Diss. de Justif. contra Hugonem Grotium*, aut est *tempestivitas*, quæ causam circumstat, ut de occasione loquitur *Scalig. Exerc. CCCLXIV*. Deinde sumitur *strictè & natè* *ἐξ ἑαυτῆς* pro sola causa efficiente, uti *Cl. Dn. D. Calovius* Efficienti causam *ἁπλῶς*, cæteris saltem *δευτέρας* tribuere non veretur. Sumitur tertio, quod erit è re nostra, pro eo, quod verum & proprium habet influxum in esse causati

§. 7. Ad *realem definitionem*, qualis hîc quidem haberi potest, quando progredimur, non tam quiritantes, quàm multum inter se dissidentes Philosophos offendimus. Illi, & inter plur

plurimos Franciscus Suarezius, ex Aristotele causæ genera-
lem & in communi definitionem desiderant: hi, si non pla-
nè negant, propriè dari posse definitionem: in proponen-
da certè illa varias hauriunt opiniones ac defendunt. E mul-
tis nobis erit unus Suarezius, qui multis & magnis Philoso-
phis & hac in parte magnus habetur, illam ita definit Disp.
XII. de Causis Entis in communi. *Causa est princi-*

pium per se influens in esse aliud. At enim verò,
ut fraus, juxta *Fabii Liviani* effatum, in parvis sibi fidem
præstruit, ut cum operæ pretium est, majori mercede fal-
lat: ita & adversarij nostri, quò feliciùs & tutiùs circa cau-
sam per accidens versentur, hanc Suarezij definitionem præ-
aliis sibi placere, tum publicis tum privatis scriptis fateri
non erubescunt. Sed erubescant, dum Suarezii authorita-
tem rei veritati præferunt. Definitio, quam dictus Suarezius
tradit, inquit *Plur. Rever. & Excell. Dn. D. Scharfius Præceptor
meus summè colendus in Disp. II. apolog. de causa per accid. §. 3.*
non est generalis, non adæquata, non universalis, ideò nec
universaliter vera. Sufficit enim ad causam in communi
sumptam vel causalitatis veritatem influxus & actualis cau-
salitas, licet non certus & specialis causandi modus adda-
tur, uti *Dn. Scheibl.* monet, quando circa naturam & defini-
tionem causæ est occupatus. Itaq; quilibet facilè observat
ac videt, aliud esse *per se influere in esse causati*, & aliud *influ-*
ere in esse causati. Ille enim peculiaris influendi ac causan-
di modus, multū differt ab hac communi causandi ratione.

§ 8. Quod *Fonsæca lib. 1. metaph. c. 7. sect. 3. Aristot. 2. Pbyf. c. 7.* &
aliorum definitiones attinet, quia obscuris verbis sunt reli-
ctæ, & Suarezius in iis examinandis aliàs laboriosus ac fatis
ingeniosus eas non amplectitur, meritò & nos missas faci-
mus, & ventilandas aliis, quibus placet, ambabus, quod
ajunt, ulnis porrigimus.

§. 9. Quia verò, ut lingvæ Romuleæ eloquentiæq; Princeps & Pater in Lælio seriò nobis inculcat, Præceptores non sunt negligendi sed colendi, ideò & meritò Præceptoris nostri colendissimi definitionem retinemus, quæ ita habet:
Causa est principium, quod importat influxum ad esse causati.

§. 10. Si definitionem hanc firmam stare volumus, probè advertendum est, quod & latiore conceptum, iuxta canonem topicum, habeat. Locò itaque generis ponimus *PRINCIPIUM* Objicere autem quis posset, hoc non esse aut posse esse legitimum causæ genus vel potius conceptum, quia apud Aristotelem causa & principium comparantur inter se ut Ens & unum, verum, perfectum, &c. Deinde causam idem esse ac principium, principium idem ac causam. Quò etiam Græci Patres videntur collimasse, quando Patrem nuncuparunt causam filij, & Patrem & filium causam Sp. Sancti, cum tamen filius non dependeat à Patre ut effectus à sua causa productus, si enim ita dependeret à Patre, necesse esset ut haberet essentiam saltem numerò diversam à Patre, hanc verò nō habet, *sed est una & eadem numero trium personarum essentia, nec ibi datur dependentia, ac per consequens nec prioritas naturæ essentialis dependentia.* Verùm principium in tali significato, sepositis & aliis, seponimus, & h. l. intelligimus principium, cui commune est, esse primum unde aut est, aut fit, aut cognoscitur *Arist. lib. 8. met. cont. 1.* Latè ergò Principium comparatur ad causam, estq; omnis causa principium, *πάντα γὰρ αἴτια ἀρχαί* inquit *Philosophus lib. IV. met. c. 1.* at non omne principium causa. Sic aurora est principium diei (intelligendum cum primis principium, quod fit *propter successionem & ordinem temporis*) non v. est causa. Differentiam nobis constituit *influxus.*

Sumi-

Sumitur autem *generalius*, prout æquivalet verbo dandi, communicandi, producendi, constituendi &c. hâc ratione non soli Efficienti, aut causæ per se competit, quasi reliquæ causæ, juxta *Senecam & Stoicos*, essent saltem *conditiones*, ut aliâs, *locus, tempus, propinquitas agentis ad passum, ablatio alicujus impedimenti &c.* sed ratio formalis causarum omnium est, inquit *D. Martini qui vñv èv àyíovs Disp. III. de causa per accidens*, quod qualibet aliquid ad esse effecti conferat ex se & de suo, proindeq; effectum ab unaquaq; suo modò dependeat. Ita aliquis effectus dependet à materia *materialiter*, quando dat entitatem, ex qua fluit effectus; ab Efficiente *effective*, quod verè & realiter influit actualiterq; attingit effectum; & sic porrò.

§. II. Quoniam doctrina de causa & causato est amplissima & admodum nodosa, utpote quando contra Calvinianos disputamus de concursu causæ primæ cum secundis; an tres SS. Trinitatis personæ possint dici causæ sociæ creationis sine imperfectione &c. contra Pontificios, an causa sit prior effectu suo & quæ sunt alia, ideò in hac nostra disputatione non omnes controversias possumus proferre, aut omnes causarum divisiones enarrare, sed tantummodò, uti quoq; in præloquio mentionem fecimus, assumemus plurimum causam per accidens.

§. 12. Ne verò causa per se, quæ simpliciter est causa, omitteretur, huc ejus definitionem ponimus. *Causa per se est principium, quod per suam naturam & Essentiam influit in esse causati.* Hic uberrimæ ejus divisiones essent enucleandæ, quando est vel *Physica* vel *moralis*, quando est *Prima* vel *Secunda*, quando est *Universalis* vel *Particularis*, uti legere est apud *Suarezium Disp. XVII.* & alios. At mittimus, & hoc unicum adjunctum volumus, nim

τὸ *per se* nihil conferre ad causalitatem, sed causalitatem omninò posse consistere absq; perfectate. Ut enim τὸ *per se* habet sese ad Ens & unum, ita & ad causalitatem. Jam verò notum est ac planum, τὸ *per se* omninò nihil superaddere Entis definitioni, quia etiam datur Ens & unum per accidens. Itaq; in hac divisione causæ *per se* omninò nihil superaddit ipsius causalitati, nec influxui causæ per accid. aliquid adimit.

§. 13. His ita prælibatis, accessum nunc faciemus ad causam *per accidens*. Omnium autem primò necesse erit, ut veram & genuinam ejus definitionem ponamus; οὐδὲ γὰρ ὁρισμὸς ἔτι δεῖται ait Philosophus lib. 2. post. analyt. c. 3. maximè etiam requiritur, ut quidditatem alicujus rei summò inquireamus studiò; *quidditas enim rei est ipsa essentia apprehensa in partibus essentialibus*, uti hac de re ab aliis Zabarella de Methodis lib. III. c. 13. allegatur. Probè & advertendum est, ut definitio causæ per accidens, non ex ejusmodi Aristotelis locis, ubi saltem incidenter illius mentionem fecit, sumatur, sed ex iis, ubi propria ejus sedes & vera causarum instituitur tractatio, nim. ex lib. 8. metaph. c. 11. it. lib. 2. Physic. c. 3 & 5, ibi enim c. 3. in fin. dicit Aristoteles; *quot cause, & quomodo cause sunt*, ἔστω ἡμῶν διαρισμὸν ἐν ἀναγῶς & cap. in sequenti agit de fortuna & casu, quæ etiam sunt in numero causarum, uti notum est.

§. 14. Talem itaq; damus causæ per accidens definitionem. *Causa per accidens est, quæ accidentaliter influit in esse causati*. Hac in definitione genus nim. *Principium* potest subintelligi, quia proximè antecedens divisio in causam per se & in causam per accidens illam innuit: e.g. in Ethicis post divisionem Prudentiæ, potest quis prudentiam politicam ita definire, *Prudentia Po-*

litica

litica est, quæ rectè consulit de iis, quæ Reip. sunt utilia: Prudentia Oe-
conomica est, quæ rectè consulit & prospicit de iis, quæ familiae sunt ne-
cessaria, ubi tamen in utraq; locò generis addatur seu intelligatur
Prudentia communis, ad differentiam Prudentiæ Privatæ, quæ non
aliena, sed propria commoda prospicit, uti Dd. Ethici hæc passim
docent ac monstrant.

§. 15. Intelligimus verò ejusmodi Principium, à quo & ex quo ve-
rè & realiter pendet effectus, quod ipsum accidentalistæ omninò
fateri coguntur v.g. arator, qui agrum sulcat, invenit annulum au-
reum aut lapidem fat pretiosum, at quis quæso negaret, hunc non
verè invenisse licet per accidens? est quidem effectus fortui-
tus, interim tamen verus. Nec differt causa per accidens
à causa per se in eo, ac si effectus non penderet à causa
per accidens, sed fundamentum causæ per accidens consistit
in eo, quod ipsi causæ per se, aut ejus effectui aliquid accidat
Hinc diligenter ponderanda sunt requisita, quæ à Dd. Metaphysi-
cis præscribuntur, nimirum ut causa per accidens rem aliquam ef-
ficiat, licet ille effectus non sit intentus ac rarò hoc fiat, imò præter
consuetum aliàs agendi modum. Vide sis hac de re *D. Scheibl. Dn.*
D. Calov. Excell. nostrum D. Scharfium.

§. 16. Divisionem nunc brevibus, ut fieri potest, contemplabi-
mur. Dividitur communiter à Philosophis in eam, quæ talis di-
citur ratione *cause*, & in eam, quæ talis dicitur, ratione *effecti*.

§. 17. Priorem ita definiunt: *Causa per accidens ex parte cause est, quan-*
do alicui, cui conjungitur causa per se seu virtus causandi, tribuitur effectus, sed ita,
ut illa virtus ipsi nec essentialiter, nec naturaliter, nec necessariò, sed saltem per ac-
cidens tribuatur v, g. Textoris est, per se texere, si verò idem textor si-
mul est musicus, musicus interim dicitur texere, & ita musicus fit
causa artis textoriæ per accidens, utpote ratione causæ. Observan-
dum h. l. est, causam per accidens etiam congruere cum causa per
se in eo, quod, uti causa per se alia est remota, alia propinqua, e. g.
Causa, ratione finis, ultima & remota civitatis est gloria Dei; Proxi-

ma verò εἰς adequatὰ εὐδαιμονία πολιτικὴ: sic etiam causa per acci-
dens alia est propinquior, alia remotior v. g. Johannes, qui ruffus &
musicus est, dicitur edificare, & utroq; respectu dicitur domifi-
care per accidens & ex accidente ædificii causa est, sed ut ruffus re-
motior, ut musicus verò propinquior.

§. 18. Divisionem hanc quod concernit, dicunt Metaphysicorum
filii, illam in multis locis Aristotelicis esse fundatam, at quando
loca, quæ objiciunt, attentè inspiciuntur, contrarium *Excell. ac acu-*
tissimo aliàs Philosopho D. Jacobo Martini evenire videtur, adeò, ut
juxta ipsius mentem, nullum fundamentum ejusmodi objectioni-
bus, & ita nec ex *Aristotelis Scriptis* nec ex *Philosophia* probari posse
fateatur e. g. dicit illos objicere pro hac adstruenda divisione lo-
cum, qui est desumptus ex *1. Post. analyt. c. IV.* ubi Aristoteles directè
non agit de causa per se & per accidens, sed potiùs de propositioni-
bus necessariis & non necessariis, uti etiam titulus est, de omni, per
se & Universali, & facilè quis potest conjicere, illum non esse oc-
cupatum circa causas, sed potiùs propositiones, quia etiam cap.
præced. egit de Scientia & demonstratione. Talia ibi leguntur ver-
ba: quæ non propter se conveniunt, accidentia dicuntur. Ut si
ambulante aliquò fulserit, accidens est: propterea quod fulguris
causa non est ambulatio, sed ita fortè accidisse dicimus. Ita quili-
bet facilè observat, aliud esse accidens seu fieri accidentaliter, aliud
esse causam alicujus per accidens. Sic aurifaber est causa argentei
poculi, & ita facit Ens per accidens, quis verò ideò aurifabrum vel-
let statuere causam per accidens illius poculi, quum tamen delibe-
ratò consiliò illud confecerit. Alia loca, quæ aliàs à Metaphysicis
objiciuntur vide examinata à *D. Martin. beatiss. mem. in disp. III. de*
Causa per accidens.

§. 19. Quicquid sit, nos sententiam hanc *B. J. Martini* non addu-
ximus eum in finem, ut nostram faciamus, ideoq; linquimus ea,
quæ aliàs scribit de duobus modis causæ per accidens ratione effe-
cti, & saltem unicum, nempe primum, qui nobis videtur incon-
gruus

gruus, examinabimus, & quid cæteri duo modi sint, paucis attingemus.

§. 20. Primus itaq; inquit *Armandus de Bello Visu Tract. II. p. 445.*, qui habet ordinem necessarium ad effectum per se e. g. qui interdum aperit fenestras ligneas, ille per accidens est causa illuminationis, adeò ut ejusmodi illuminatio fieri nequeat absq; hujus impedimenti remotione, nim. apertione fenestrarum sicq; cohæreat necessariò. Verùm respondemus, hoc omninò non procedere; qui enim removet ejusmodi impedimentum, ille per se removet. Deinde dicimus ejusmodi remotionem fenestrarum lignearum sanè non esse causam illius illuminationis, sed adhuc propinquior requiritur, ideò ad illam confugiendum non est, sed potiùs ad talem, à qua est virtus ejusmodi proportionata, quæ etiam intelligitur esse sufficiens ad influendam actionem nim. illuminationem. Vide hac de re egregiè differentis *Suarezij disp. XVII. sect. 2.*

§. 21. Secundus modus est, quando aliquid habet ordinem ad effectum per accidens seu conjungitur cum eo necessariò sed rarò, uti h. m. fortuna & casus dicuntur causæ per accidens e. g. qui piscatur & tripodem aureum invenit, ille non necessariò invenit, sed accidit hoc ipsum rarò.

§. 22. Tertius modus est, quando aliquid nullum ordinem seu connexionem cum effectu habet, nisi fortè secundum æstimationem hominum e. g. quando homine egrediente è domo tempestas oritur & ille egrediens dicitur causa istius tempestatis.

§. 23. Hæc breviter dicta sunt de causalitate & influxu causæ per accidens, & ut arbitror, quilibet facilè intelligere potest, causam per accidens, quando non sumitur secundum specierum modos, quales indicavimus, non æquivocè, sed revera esse causam, ideoque ex definitione ante data ita nunc argumentamur:

Quodcumq; principium influit in esse causati, illud non æquivocè, sed revera est causa. Causa per accidens utpote principium influit in esse causati. E. Causa per accidens est non æquivocè sed revera causa.

Deus non est causa peccati, nec etiam dici potest per accidens. Quia hodiè omnis nostra Philosophandi ratio cò est instituta, ut tandem ob adversarios dextrè ad Theologiam applicetur, ideò nobis animus est, quia versamur circa causam, examinare aliquot Philosophica adversariorum argumenta, quibus probare conantur, Deum posse dici causam peccati; & eorum, qui paulò subtiliores videri volunt, statuentes, Deum esse causam peccati saltem per accidens. Hic verò magnus contradicentium, *tùm veterum, tum recentiorum*, se sistit numerus. E. veteribus nominantur *gentiles extra Ecclesiam viventes*, qui suos Deos in bonos & malos dividebant, & hoc inter alia patet ex cultu eorum, quando non solùm bonos, sed & malos nim. *Feretrium*, qui à feriando dicebatur, singulari affecere cultu, uti legi potest apud *Alexandrum ab Alexandro lib. IV. c. 17. & lib. I. c. 14.* His ipsis annumeramus *Cerdonianos, Marcionistas, Manicheos, Priscillianistas Hispanos, Manicheos novos in Gallia*, & alios, qui bonas actiones bono Deo, malas verò malo adscripserunt, & sic ad hunc omnia feditatis acturpitudinis facta, quæ de bono Deo asserere nefas duxerunt, retulere, contra quos legimus *Epiphanium, Tertullianum &c.* Deinde reperimus *Valentinianos* & ejusdem hæreseos defensores *Florentinos circa annum 170.* statuentes, *Deum peccata creasse, sicq; non tam bonarum, quam malorum actionum causam vel authorem esse.* His possunt accenseri illi, seculo superiori in Brabantia & Hollandia exorti *Libertini, aliàs Quintinistæ* à *Quintino Sartore Piccardo* ita dicti, qui itidem *Deum peccati ac mali authorem pronuntiârunt, ipsumq; operatum fuisse peccatum Caini, Sauli, Jude, Pharaonis & sic porrò.* E recentioribus reperimus *Scholasticos & Jesuitas*, qui omnem quidem materiam bonam creatam esse dicunt, interim tamen ei quoddam vitium adhærere, imò esse concreatum, unde tandem in homine ejusmodi virium rebellio, ac pugna appetitus nec non rationis oriatur. His paulò deteriores cum *Valentinianis* correspon-

den.

dentes *Calviniani* sese agglomerant, qui quoq; Deum peccati au-
thorem statuunt. Videbat de re *Instit. Calvini lib. 1. c. 18. it. lib. III.*
c. 23. §. 4. Bullingerum, Pareum, Bezam & alios. Posset hic omnium
Ethnicorum optimus *Plato* ipsis respondere, cujus verba leguntur
apud *D. Klozium in Theol. Naturali disp. IX. de Bonitate & Perfectio-*
ne Dei §. 18, Bonorum solus Deus causa dicendus est; malorum autem
quamlibet aliam præter Deum causam querere decet. Et alibi: *Nullò*
modò Deus est dicendus peccati causa, quippe cum sit summè bonus, imò
ipsa bonitas. Possunt de hæreticis allegatis legi ac consuli *Bb.*
Theologi Chemnitius & Hutterus in LL. suis Theologicis, Cl. Calovius in
A.C. disp. ult. B. Jacobus Martini passim in Tractatu de Causa Peccati.
Argumentum adversariorum inter alia tale est.

Causa Secunda nunquam agit sine Prima. Homo peccans agit ut causa Secun-
da. E. Homo peccans non agit sine causa Prima, & per consequens Deus tanquam
Causa Prima causatur peccatum & in ejus effectum influit.

Resp. I. Deum quidem certâ ratione concurrere & agere cum
causa secunda; i. quatenus opere creationis nunc absolutò omnia
conservat atq; naturam sustentat, hòc modò facilè possumus conce-
dere, causas secundas habere facultatem agendi à causa Prima, uti
hoc testantur dicta è sacris excerpta *Sap. c. XIV. 3. Act XVII. 24. nec*
ratio dissentire potest, quia causæ secundæ dependent à causa pri-
ma nim. DEO in esse & effectu, utrumq; verò est Ens per participa-
tionem. Etiam concedimus DEUM tanquam causam primam a-
gere cum secundis & præbere ipsis actionibus concursum 2. *νοβεργη-*
τικός, quando peccatis pro sua sapientia modum statuit, sicq; ea ad
finem bonum dirigit, de quo sint Theologi solliciti. Si itaq; ma-
jorem propositionem ita nostri adversarii intellectam vellent de
generali concursu, non haberent nos contradicentes, quia verò di-
cunt causam secundam omninò nihil posse facere sine causa pri-
ma, & ita etiam defectum DEO adscribunt, & quod ex defectu agen-
tis oritur, in DEUM reducere volunt, ideò ipsis hac in parte extre-
mum VALE dicimus.

II. Dicimus Deum aliter concurrere cum *causis naturalibus* nim. ad *modum cause naturalis*, aliter cum *causis liberis* nim. per *modum cause liberae*. Cum actionibus humanis concurrat ad modum *causae liberae* & sese accommodat ad modum agendi liberum, nim. non vult, ut causa libera statim exerceat actum, sed prius observet ordinem, utpote si voluntas creata se determinat ad illum & influit, vult: contra si sese non determinat, non statuit concurrere, hæc ipsa verba legi possunt apud *D. Klozium in Tb. Naturali Disp. ult. in fin.* Quod autem homo sit causa libera & potestatem habeat liberè agendi ac operandi, dudum ex communi Philosophorum mente, Scholasticorum Patrumq; applausu & ex ratione ostendit *Saurezius disp. XIX. sect. 2.* Quod ipsum fit beneficio *rationis*, ut possimus consulere, utrum hoc vel illud sit eligendum, quò pertinent consilia, leges, præcepta, adhortationes, dehortationes, persuasiones.

III. Dist. est inter *effectum & defectum*. Causa secunda, ut in confesso, nihil quidem efficit & operatur absq; prima, interim potest deficere. Causæ primæ itaq; efficientia immediatè ac per se non tendit ad defectum, ergò per illam positivè non potest fieri aberratio seu inordinatio alicujus effecti, sed semper tendit ad realem efficientiam; peccatum verò ac malum abstractè sumptum non est reale seu positivum quid, sed defectus, qui est in causa, non *increata*, sed *creata* sc. depravatâ voluntate à primi agentis ordine deficiente, uti *Thomam* hanc ob causam allegavit *Dn. D. Calovius in disp. sua A. C. XXIV. §. 4.* Exemplis quoq; quæ pro nostra assertione faciunt, posset demonstrari, concurrere aliquid ad actionem, non verò ad actionis *ἀταξίαν* & inordinationem e. g. in *δυσφωνία* instrumenti musici duo observamus sonum & soni vitium. Sonus attribuitur pulsatori, quando verò dissonat ob chordæ plus justo laxationem aut nimium intentionem, non est pulsator in causa sed ipsa chorda *Vide plura apud D. Scharf. in Pneumat. lib. II. quest. 4. D. Calov. l. c.* Secundum argumentum ita se habet;

Quic-

Quicquid est causa cause, est etiam causa causati. Atqui DEus est causa nempe voluntatis humane, ex qua provenit peccatum. E. DEus etiam est causa causati nem. ipsius peccati.

Resp. ad hoc argumentum : Si adversarij monstrare possunt, quod tamen nunquam poterunt, peccatum à DEo tanquam causa necessario & immediatè resultare, laurum porrigemus. At à bono non nisi bonum potest proficisci. Voluntas hominis facit peccatum, non verò ut est à DEo facta, sed quia ab ordine DEI deficit & declinat. Est itaq; peccatum non *ipsa actio*, sed *actionis consequens & adjacens malum*, quod non nisi à *particulari* causa ortum habet & influxum. Dicimus ergò majorem non esse *simpliciter* veram, sed *secundum quid*, nempe quando canon intelligitur de causis accidentaliter subordinatis, ut non valet: *Deus est causa voluntatis E. est causa mali seu peccati quod provenit ex voluntate*. Voluntas siquidem humana non perpetrat malum, ut est à DEo, sed ut laborat à *ra. Eia.* Vide hoc argumentum resolutum à *D. Huttero in LL. Theol. p. 239.* Quomodo verò canon limitetur & quid sint causæ *Essentialiter* ac *accidentaliter* subordinatæ vide apud *Cl. Sibal. Tit. III. reg. 12. Scheibl. in Top. c. II. num. 80.* Qui plura ejusmodi argumenta Philosophica adversariorum desiderat, quæ humana ratio excogitavit, potest legere *D. Georg. Mylium in A.C. art. XIX. p. m. 243.*

Nunc ad alterum membrum nostri porismatis brevissimis nos vertamus necesse est, in quo nobis occurrunt *Accidentarij*, statuentes, *DEum posse dici causam mali ad minimum per accidens*. Rationem hujus assertionis ponunt in eo, quod causa per accidens non sit vera causa, quia, juxta illorum mentem illa nihil omninò confert ad esse causati, sed potius *per accidens* negare causam esse causam. g. dicunt, homo, quando dicitur mortuus, hoc ipso negamus hominē mortuum esse hominē. At respondemus, si prætere volunt adversarij, causam velut per accidens non esse causam, potius abstinendum esse ab ejusmodi loquendi modo, quàm sub tali nova phrasi

phraſi ſuum occultare errorem. Tales enim novi ac ficti loquendi
modi, magnum ſæpè imò maximum Eccleſiæ Chriſti attulerunt ac
cauſarunt nocumentum. Hinc juxta Auguſtini monitum lib. X.
*C. D. opera danda eſt omnibus ſincerè Chriſtianis, ut ex præſcripto lo-
quantur.* Cæterùm dicimus, ſi aduerſarii negare volunt, cauſam
per accidens eſſe revera cauſam, ſimul quoq; negent, Ens per acci-
dens non eſſe Ens. Poſteſt quiſquam hac de re legere ſæpè allegatum
*Excell. Phil. ac Theologum B. J. Martini Diſp. V. de cauſa per accidens & in
illo Tract. paſſim, ut & Cl. Dn. D. Calov. in A. C.* Quod attinet argu-
menta, quæ pro aſſerendo ſuo errore deſumunt ex generali defini-
tione cauſæ, ſuffulti imprimis Suarezii authoritate, illi putamus ſa-
tis eſſe reſponſum in noſtris theſibus, & dudum aduerſariis ſuffici-
entiſſimè reſpondit eoſq; refutavit Præceptor noſter honoratiſſi-
mus in diſp. ſua Apolog. II. Quæ aliàs ſolent objici ab aduerſariis, vi-
de in Tract. Philoſophico-Theologico Dn. Nicolai Profeſſoris Gedanenſis
allegata, & forſan plura audiemus in ipſo conflictu. Nos non opta-
mus in eo informari, quod DEI bonitati, potentia, prudentia ac ju-
ſtitia aliquid derogat, ſed potiùs illoſ delegamus ad Euripidem, qui
de ſuis Diis dicit: θεοὶ ἔτι αὖ εἰσὶ θεοὶ, εἰ κακόν τι θεῶσι. Quid dice-
mus Chriſtiani de vero DEO omnium gubernatore?

Nonne eum DEUM non futurum, ſi peccati
cauſa exiſtat.

Tantum!



Eximio Dn. Auctori Conterraneo


De A. L. E. Gu. H. J. clauderi ſuo & Amico ſibritùs dilecto.

Quare ſollicitè CAUSAS meditâre, Sodalis?
Holtzmanno Celebrî rem moderante tuam.

Auguror: ut CAUSAM ingentis pia Patria de Te
Latitiæ capiat; quod precor ex animo,

ἡμεδίουσ p.
Joh. Matth. Stumpfius!






B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



v. 7.
Metaphysica

IN GENERE

Divisione
e & per Accidens

quam
ante Gratiã
ræsidio
clarissimi

ICI HOLTZMANNI,

sophicæ Adjuncti longè
n p. t. Decani Spectabilis,
motoris ac Fautoris sui
ter colendi.

Horis antemeridianis
i. Septembris
m examini submittit

Stieckh Francus.

EBERGÆ,
HNERI Acad. Typogr.
M. DC. L.

7

